

R. P. CHRISTOPHORI
HAUNOLDI
 E SOCIETATE JESU
 CONTROVERSIARUM
 DE
JUDICIIS
 ET
PROCESSU
 IN CAUSIS CRIMINALIBUS
TRACTATUS II.
 DE
DELICTIS ET POE-
NIS CORRESPON-
DENTIBVS.
CAPVT I.
 DE DELICTIS IN GENERE.

CON-

CONTROVERSA I.

De Divisione Delictorum in Publica & Privata.

SVMMARIVM.

Delicta Publica in quoniam principaliter differant à Privatis. 1. Unde desumatur denominatio Judicij Publici. 2. & seq. An pure Canonico omnia delicta sint publica. 4. Primus effectus Judicij Publici. 5. Secundus, & Tertius effectus. 6. Quartus, Quintus, & Sextus effectus. 7. Septimus effectus. 8. Octavus & Nonus effectus. 9. Decimus effectus. 10. Undecimus effectus. 11. Duodecimus & Decimus tertius effectus. 12. Divisio Judiciorum publicorum in Capitalia, & non capitalia. 13. An satisfiat per poenam deportationis Statuto de infligenda poena capitali. 14. & seq.

1. Delictorum alia esse privata, alia publica, constat ex tit. de Privatis delictis, qui est primus libri 47. ff. juncto titulo de Publicis Jud. rum Inst. lib. 4. tit. 18. rum Digest. 1. lib. 48. Ex quibus

Dicendum est I. Delicta Publica differunt principaliter à Privatis, quòd in crimine publico plerumque unusquisque de populo admittitur ad accusandum, in privato verò non nisi ille cujus aliquo modo privatum suum interesse vertitur, sive civiliter, sive criminaliter agatur, cujusmodi sunt: crimen injuriarum, damni arborum furtim cesarum, bonorum raptorum, expilate hereditatis, termini moti: & ejusmodi alia. Ita colligitur ex §. 1. Inst. de Public. Judicij. [Publica autem delicta sunt, quòd cuius ex populo executio eorum plerumque datur.]

In quo textu per part. Plerumque, innuitur, exceptionem recipere allatam differentiam, adeoque illam non esse differentiam essentialem, hæc enim nullam admittit exceptionem. Imprimis ergo excipitur Adulterium, quod esse crimen publicum omnes fatentur, nam in lege 1. ff. de publ. lūd. expressè inter illa numeratur. Et tamen illius accusatio non permittitur nisi certis personis propinquis, ut alibi dictum, &

infra dicitur. Deinde excipitur Falsum in supposito parv. l. 30. §. 1. ff. ad leg. Corn. de falsis. [De parv supposito soli accusari parentes, aut hi ad quos ea res pertineat, non quilibet ex populo, ut publicam accusationem intendant.] Deinde plura hominum genera sunt, quæ ad accusandum non admittuntur in ullo delicto publico, ut pupilli, mulieres, milites, infames, Magistratus, servi, falsi testimonii rei, corrupti ad accusandum vel non accusandum. Ulterius in actionibus popularibus cuius conceditur accusatio & delatio, & tamen non sunt Judicia publica, ut patet ex toto tit. de popularib. aq. Item actio de suspectis tutoribus removendis cuius est populo conceditur, nec tamen delictum est publicum. Ex his patet, non rectè definiiri crimen aut Judicium publicum, quòd cuius de populo liceat accusare. Itaque

2. Dicendum II. Denominatio Delicti & Judicij publici, desumitur universaliter à lege vel consuetudine enumerante delictum inter publica, in ordine ad alios effectus Juridicos, de quibus dicitur Conclus. 3. Colligitur ex l. 1. ff. de lūd. pub. [Non omnia Judicia, in quibus crimen vertitur, publica sunt, sed NB. ea tantum, quæ ex legibus judiciorum publicorum veniunt, ut: Julia Majestatis, de adulteriis, Corn. de ficiariis & veneficiis, Pompeja Patricidii, Jul. peculatus, Corn. de testamentis, Jul. de vi privata, Jul. de vi publica, Jul. ambitus (cui simonia Ecclesiasticorum respondet in Gl. Gossfr.) Jul. repretundarum, Julia de anona.] Sed præter hæc alia esse patet ex progressu. Hinc autem

3. Inferitur I. Has denominationes: esse delictum publicum aut privatum: esse mutabiles in delictis: quia possit lex ex delicto, quod modo numeratur inter publica, facere privatum, & e contra. Et sane Farinacius q. 18. n. 17. tradit, has denominationes regulari à loci consuetudine, quæ non obstante Juris dispositione, potest esse delictum de publico privatum & e contra, quod etiam observavit Clarus, referens Millemum dicentem, quòd hodie titulus de privatis delictis non sit in usu. quod confirmat Farinacius hæc ratione, quia hodie de consuetudine Judex in omnibus delictis ex officio procedit, quod proprium est delictorum publicorum. Et Maranta testatur, quòd in Regno Neapolitano non admittatur aliquis ad accusandum, nisi suam vel suorum injuriam prosequatur, & quoad hunc effectum omnia delicta possent dici privata: Sed hoc Maranta dictum videret intelligendum de delictis, quibus persona privata offenditur: nec enim potest intelligi de crimine læsæ Majestatis divine, v.g. per Blasphemiam, alioquin hoc delictum evaderet inaccusabile, quod non est dicendum: nisi forte quis dicere velit, quòd sicut offensa Principis terreni, ita & Dei fit

H; offen-

offensa omnium subditorum, & per consequens ab omnibus accusari possit.

4. Inferitur II. Quid dicendum sit ad illam Questionem vulgarem, an Jure Canonico omnia delicta sint Publica. Negat Treuterus, & plures alii, quos refert Harprecht in *pr. tit. Inst. de Publ. Iud. n. 22.* eo quod in pluribus Canonibus, quos ibi refert, agnoscat discrimen inter Delicta publica, & privata. Verum, in his textibus aliud non habetur, quam quod certe personae non permittantur accusare in delictis, quae Jure civili publica dicuntur.

Affirmativa sententia est communis Canonistarum, & tradit Clarus, Decianus, Farinacius, alii post gloss. & hoc pendet ex consuetudine, quod Jure Canonico in quovis delicto procedatur ex officio, admittatur quis ad accusandum. Quando ergo constat de effectibus, erit mera his inutilis de nomine, an delictum debeat vocari Publicum, an Privatum, Unde Decianus *c. 4. n. fin.* ita concludit. Hodie tamen per Statuta & consuetudines civitatum, adeo immutata sunt omnia circa publica & privata delicta, ut nullam inter ea videatur relictum discrimen. Quidquid autem sit de hoc, & quia Jure Civili divisio haec videtur, videndum est de effectibus Judiciorum publicorum.

5. Dicendum III. Judicia publica & privata diverfos habent Effectus, & ex illis pendet utilitas scientiae, an hoc vel illud delictum sit publicum, an privatum, & legis vel consuetudinis vis, qua constituit delictum publicum vel privatum.

Primus effectus (de quo jam dictum) est, quod in publicis Judiciis regulariter quilibet potest accusare, nisi specialiter lege aut consuetudine prohibeatur. Per hoc tamen non licet inferre, quod hic effectus judicii privatis nunquam possit convenire, satis est quod regulariter non conveniat, nisi speciali lege concedatur, cujus instantias jam supra attuli, & aliam instantiam affert Praepositus, & Baldus, quod si quis fecerit injuriam sacerdoti, quilibet de populo accusare possit. Sed hoc alii negant, quia lex non exstat.

6. Secundus effectus adducitur ex Baldo in *l. 4. ff. ad L. Aquil.* in publicis licet unicoque reperitur in flagranti crimine capere. & jus publicum tueri, ut Judici puniendum offerat, quod in privatis regulariter non conceditur.

Tertius effectus. Si accusator à publico judicio instituto desistat ab accusatione, incidit in S. C. Turpilianum, & punitur poena tergiversatoribus taciturni, nempe quinque libris auri. Secundus accusator in delicto privato, *l. 7. §. 1. ff. ad S. C. Turpill.* [Si quis Stellionatus objecerit, vel expilatæ hereditatis crimen, & desistit, poenam

S. C. Turpillani non subibit, nec si furti, vel injuriam, sed officio Judicis (poena extraordinaria) culpa ejus coercetur.]

7. Quartus effectus. In publicis Judiciis procurator regulariter non potest intercedere, ut dicitur: cum tamen in privatis admittatur.

Quintus. Publica Judicia regulariter spectant ad Merum Imperium, non privata.

Sextus. In publico Judicio non licet ante ceptam litem transigere, (benè tamen in privato.) In illis capitalibus, quae poenam sanguinis non ingerunt, ut dixi in tract. de Transact. ex *l. 18. C. de Transact.*

8. Septimus. In publicis Judiciis accusator non tenetur edere instrumenta, & alia sicut in privatis. *l. 2. §. 2. ff. de Jure Fisci.* [DD. Fratres rescripserunt, toties edenda esse instrumenta, quoties de jure capiendi, vel de jure dominii, vel de aliqua causa simili re nummaria quaeritur, non si de capitali causa agatur.] Ubi nota, in exemplaribus recentibus omisam turpiter esse vocem: *capitali.*

9. Octavus effectus habetur in lege 20. ff. de accusat. [Ex Judiciorum publicorum admittitur non alias transseunt adversus haeredes poenae bonorum ademptionis, quam si lis contestata, & condemnatio fuerit secuta: excepto repetundarum & majestatis judicio, quae etiam mortuis reis, cum quibus nihil actum est, adhuc exerceri placuit, ut bona eorum sisco vindicentur &c. Ex ceteris vero delictis poena incipere ab haerede ita demum potest, si vivo reo accusatio mota est, licet non fuit condemnatio secuta.]

Nonus habetur in *l. 3. C. Qui accusare non poss.* [Qui crimen publicum instituitur propeant, non aliter ad hoc admittantur, nisi prius inscriptionum pagina praesecerit, & sive jussor de exercenda lite adhibitus fuerit &c.]

10. Decimus. Cause publicorum Judiciorum non possunt delegari. *l. 1. ff. de Officio ejus cui.* &c. ibi. [Et ideo videtur errare Magistratus, qui cum publici Judicii habeant exercitioem, lege vel S. Cto delegatam, veluti Leg. aq. de adulteriis, &c. Jurisdictionem suam mandant.] Sed hic effectus hodie nullus est, postquam ex consuetudine merum Imperium competit jure Magistratus, pro quo etiam existat constitutio in ar. 1. & 2. Ordin. Crimin. Caroli V. & videri potest apud Calp. Manzum in Comment. in Carolin.

Undecimus. Publica Judicia regulariter infamant condemnatum, *l. 7. ff. de Publ. Iud.* [Infamiam non ex omni crimine sententia facit, sed ex eo, quod Judicii publici causam habuit: itaque ex eo crimine, quod judicii publici non fuit, damnatum, infamia non sequetur: nisi id crimen

crimen ex ea actione fuit, quae etiam in privato Judicio infamiam condemnato importat: veluti furti, vi bonorum raptorum, injuriarum.]

12. Duodecimus. In publicis Judiciis nemo invitus cogitur testimonium dicere contra agnatos, affines, & quosdam alios, qui recensentur in lege 4. ff. de Testibus, quam retuli praeced. To. cap. de Testibus.

Addi potest Decimus tertius, quod ex consuetudine Germaniae approbata, in publicis seu criminalibus causis Appellatio non admittatur. Ord. Cam. Imper. p. 2. c. 28. de hoc dicitur in fine hujus tomi.

An autem verum sit, id quod asserit Decianus, plerisque hos effectus ab usu recessisse, alii noverunt: & si illud verum est, modica erit utilitas in disceptandis delictis publicis à privatis.

13. Judicia publica subdividuntur in Capitalia, & non Capitalia, de quibus est *lex 2. ff. de Pub. Iud.* [Publiciorum Judiciorum quaedam Capitalia sunt, quaedam non capitalia. Capitalia sunt, ex quibus poena mors aut exilium est, hoc est, aquae & ignis interdictio: per has enim poenas eximitur caput de civitate: nam cetera non exstia, sed relegationes propriè dicuntur, tunc enim civitas retinetur. Non capitalia sunt, ex quibus pecuniaria, aut in corpus aliqua coercitio poena est.] Ex qua lege probavi *tr. 1. Contr. 2.* membri abfitionem non esse poenam capitaleam. Nunc verò

14. Controversia est, si statuto aliquo vel lege mentio fiat poenae capitalis pro aliquo delicto infligenda, & non eximitur magis specificè, an satisfiat statuto per poenam deportationis & exilii: quandoquidem in adducta lege & haec sit poena capitalis, quia per illam caput adimitur ex civitate. Negarunt aliqui, volentes tale statutum esse intelligendum de poena physice capitali, hoc est, veram vitam auferente.

Tenenda tamen communissima sententia DD. quod tali statuto satisfieret per poenam deportationis & exilii. Probat. Quia leges penales in dubio sunt accipiendae & intelligendae de poena mitiore, si verba legis per illam verificentur, *l. 42. ff. de poenis.* Interpretatione legum poena mollienda sunt positum quam exasperanda. quae lex est canonizata in can. 18. *diff. 7. de poenit.* & huc facit reg. *Juris. 155. §. 2. In poenalibus causis benignius interpretandum est.*

15. Obijciunt I. *Pr. legis 5. ff. de poenis.* Verum, illa lex potius nostram & communem sententiam probat, nam expresse satis loquitur de poena mortua solum civiliter, & sic habet. [Sed si alia lege (quam illis quae enumerabatur in lege 3. praecedente.) capitis poenita sit (uxor) quae lex

dotem non publicat; quia prius serva poenae efficitur: verum est dotem mariti lucro dedere, quasi mortua sit.] Ecce! quod sit sermo de morte civili, quae quasi mors dicitur.

16. Obijciunt II. Varios textus ex titulo ff. de re militari, in quibus nemo dubitat per poenam capitis ultimum supplicium intelligi. *Metus ita intelligi, quia est sermo de disciplina militari, quae non servatur per deportationem, sed per ultimum supplicium.*

Obijciunt III. *Legem fin. ff. de rer. divis.* quam etiam omnes intelligunt de ultimo supplicii poena. *Ex ultimis verbis legis colligi, quod ita sit intelligenda.* [Si quis violaverit muros capite puniatur &c. nam Romuli frater Remus occisus NB. traditur ob id, quod murum transgredere voluerit.]

Ad hunc vel similem modum plures aliae leges intelligendae sunt loqui de ultimo supplicio, quando loquuntur de poena capitis, vel quia aliae leges clarè statuant illi delicto ultimum supplicium, vel quia ipse leges opponunt poenam capitis ultimo supplicio.

CONTROVERSIA II.

De Divisione Delictorum in Ordinaria & Extraordinaria.

SUMMARYM.

Quoniam Delicta communiter dicuntur ordinaria vel extraordinaria. 17. Aliorum DD. declaratio. eod. Melior declaratio Deciani. 18.

17. Ordinaria delicta communiter dicuntur illa, quae à lege certam & determinatam poenam statuant. Extraordinaria verò, quae non habent certam & determinatam poenam, sed modo una, modo alia extra ordinem Judicis arbitrio, juxta delictorum variationes, imponitur.

Verum, quia etiam illa delicta, quibus certa poena statuta est, quandoque extra ordinem puniuntur, ideo aliqui aliter explicant hanc divisionem, nempe, ut illa sunt Ordinaria delicta, quae certum nomen in Jure habent, extraordinaria verò quae certum nomen non habent; quam explicationem non improbat Farinac. *q. 18. n. 21.*

18. Mihi placent, quæ de hac Divisione tradit Decianus *lib. 5. c. 2.* ubi cum mirâ eruditione declarasset originem hujus divisionis, ex diverso modo procedendi in delictis, ita ut Ordinaria crimina dicerentur, quæ præscripto Judiciorum ordine servato in iudicium deducuntur: item & quæ præscriptas à lege penas habebant; Extraordinaria e contra, in quibus prosequendis nullus iudiciorum ordo servabatur, vel nullâ certâ, & legitimâ penâ, sed duntaxat arbitrariâ coerceretur: quia verò scrupulosa illa antiquorum forma procedendi in usu esse desuit, tandem circa præsentem divisionem sic concludit: Ea dici ordinaria crimina, quæ certum habent criminis titulum, certâ lege, & certâ penâ comprehensa, quæ & legitima appellantur: arg. *leg. 3. §. 2. ff. stellionatus.* [Penâ autem stellionatus nulla legitima est, cum nec legitimum crimen sit: solent autem ex hoc extra ordinem plecti.] Extraordinaria verò ex adverso ordinem plecti. Extraordinaria verò ex adverso ordinem plecti, quæ nullum habent titulum, aut certum nomen, nullamque penam certâ lege præscriptam.

CONTROVERSIA III.

De Divisione in Crimen Leve, atrox, atrocissimum, atrocissimum.

SVMMARIVM.

Delictum alio gravius reputatur ex eo, quod sit mali exempli. 20.
Referuntur alia capita ex quibus crescit gravitas eod.
Quenam delicta dicantur enormia & atrocia seu gravia Jure Canonico. 21.
Quenam talia reputentur Jure Civili. 22.
Qualia reputentur delicta commissa sine dolo. 23.
Qualia reputentur commissa cum dolo & appensate, 24.
Quenam quantitas damni reputetur gravis, ut inde delictum dicatur grave. 24. & seqq.

19. **D**E Divisione in Crimen Leve & Grave seu Atrox, præ cæteris distindit agit Farinacius *q. 18. a. n. 61.* ponens novè conclusiones, ex quibus facile erit judicare de comparativo, & superlativo, pro quibus non habentur speciales regulæ, sed Judicis arbitrio relinquuntur ex circumstantiis judicandum, ex delicti qualitatibus & cir-

cumstantiis, juxta facti & personarum conditionem, offensam & offendentis, armorum, partis corporis læsæ, causæ, loci, temporis, eventus &c. ut colligitur ex *leg. 16. tota ff. de penis.* ubi per exempla declarantur hujusmodi circumstantiæ. Hinc

20. Inferitur I. Gravius delictum reputandum esse ex eo, quod sit mali exempli, utpote Republicæ perniciosius aliis, cujus aptissimum exemplum habetur in *l. 3. §. 2. ff. ad l. Cornel. de scar.* ibi. [Sed ex Scto relegari jussa est ea, quæ non quidem malo animo, sed malo exemplo medicamentum ad conceptionem dedit, ex quo ea quæ acceptat, decesserit.] Simile exemplum habetur in *l. 3. §. 5. ff. de penis.* [Qui abortitionis vel amatorum poculum dant, etiam dolo non faciunt, tamen quia mali exempli res est, humiliores in metallum, honestiores in insulam amissâ parte bonorum relegantur: quod si eo homo perierit, summum supplicium afficiuntur.]

Inferitur II. Gravius delictum esse, occidere proditorie, quam aperte aggreddendo, quia à proditorie non possumus ita cavere, sicut à palam aggreddente, & ideo, ut præced. tract. vidimus, proditorie occidenti denegatur privilegium asyli.

Inferitur III. Delictum nocturnum vel clam commissum, regulariter esse gravius reputandum, ob majorem animi deliberationem, quod tamen non procedit in illis, quæ ob verecundiam fiunt nocturnum. Et sic de aliis.

21. Dicendum nunc I. Jure Canonico illa delicta dicuntur enormia & atrocia seu gravia, (in ordine ad forum externum) cum quibus etiam post peractam poenitentiam aliquid remanet de penâ, impediens Ordinem executionem, vel beneficii retentionem: ut homicidium, hæresis simonia, duellum, mutilatio, magna sanguinis effusio &c. Et universim, ob quæ infamia incurritur, item delicta carnis: nam de his existant varii canones graviter punientes, qui suo loco adducuntur.

22. Dicendum II. De Jure Civili, quando pro delicto imponitur poena levis, v.g. exigua poena pecuniaria, vel aliqua brevis incarcerationio, vel similis, tunc delictum reputatur leve, (in foro externo, nâ in interno potest esse, imò communiter est grave, hoc est mortale.) Si verò imponitur poena, quæ gravior reputatur, quam si imponeretur poena ultra tertiam partem bonorum homini diviti, delictum reputatur grave & atrox. Si verò imponatur poena mortis civilis, reputatur atrocissimum. Si mortis naturalis, gravissimum, seu atrocissimum, secundum aliquos, quos refert Farin. n. 88. Sed magis placet quod tradit Clarus, nempe atrocissima illa solum reputari, pro quibus imponitur mors qualificata, v.g. ut in frusta scindatur, rotæ inferatur, trahatur ad equi caudam, combu-

ratur &c. Hujusmodi sunt Hæresis, Læse Majestatis, Parricidii, Latrocinii, Assassini, Sodomizæ, Incendiarii, Falsæ monetæ &c. Hinc licet futo sit constitutum suspensum, non tamen est crimen atrocissimum. Ex qua regula, quæ est à posteriori & ab effectu desumpta, apparet, plerumque in Judicis arbitrio repositum esse iudicium de gradu atrocitatis, quando lex non taxat penam qualificatam.

23. Dicendum III. Delicta, quæ non sunt commissa dolose, sed ex quadam temeritate, etiam culpabili, reputantur juridicè inter Delicta non atrocissima, sed levia. Colligitur ex *leg. 18. C. Qui accusare non poss.* [Si sororem tuam leviorum commissorum ream facis, accusationem non prohiberis exercere in iudicio prædiali: quo temere commissa congruè ultione plectantur.] Ex qua lege colliges utilitatem discernendi levia ab atrocibus, nempe si quæ personæ prohibentur accusare in atrocibus, possunt accusare in levibus: ergo interest scire, quænam reputentur atrocissima, quæ levia.

24. Dicendum IV. Delicta commissa cum dolo & appensate, si grave damnum & præjudicium inferant proximo, vel Republicæ, reputantur atrocissima. Unde inferunt DD. quod etiam furtum in re gravi reputetur atrox. Ubi tamen desidero in DD. explanationem *Rei gravis.* & adverte, non posse hoc loco per damnum grave intelligi illam Summam, quæ secundum Theologos sufficit ad peccatum mortale: alioquin diceretur atrox delictum, si quis Regi auferret duos aureos, imò in probabili sententia, medium florenum, quod tamen sine risu non diceretur.

25. Censio itaque hanc quantitatem esse explicandam cum proportione ad regulam generalem Moralitatis, quam tractavi in opere theologico *lib. 2.* & dicendum, illud esse delictum atrox seu grave ratione damni, cui est à Jure constituta poena, quam paulò antè dixi respondere delictis atrocibus conclus. 2. illa autem damnificatio meretur tantam poenam, cui si tanta poena non statueretur, sed alia mitior, homines in tali Republica non sufficienter abstererentur à multiplicatione hujusmodi damnorum, ex qua ingens detrimentum redundaret in Republicam: v.g. si furtis toties multiplicatis, vel in tali quantitate, non statueretur suspensum, abundaret Republica furtibus, & inde nasceretur ingens confusio, dissidentia &c. & quia aliquæ Nationes sunt à natura magis proclives ad hujusmodi delicta damnificantia, ideo ibidem minor quantitas mereretur poenam capitale, alibi, ubi non est par inclinatio, major taxanda erit. Sic videmus, in disciplina militari pro leviori futo suspensum inferri, quia alioquin

ob nimiam audaciam militum ingens damnum incurreret Respublica &c.

26. Quod dictum est damno in bonis fortunæ, seu pecuniariis, cum proportione applicandum est damnis in bonis famæ, vel honoris, item in bonis corporis. Declaratur in exemplo. Romæ, teste Farinacius n. 98. solent Gubernatores in Principio sui officii inter alia banimentata illud potissimum promulgare, quod illi, qui alteri grave & deturpans vulnus in facie inferunt, poenâ tritemium (quæ adnumeratur poenâ capitalibus) damnetur: quod si per alios fecerint, ultimi supplicii.

Nec obstat, quod, per vulgaria, cicatrix nulla sit æstimatio, quia hoc verum est de æstimatione pecuniaria, non autem de æstimatione penali. Advertunt autem DD. quod si cicatrix non deturperet, vel possit pileo tegi, non ita facile puniatur tam graviter: & quia non ita æstimatur deturpato in facie virili, sicut in puellis innuptis, ideo in his est gravius delictum, & severius puniendum, si dolo seu pensate infligatur.

CONTROVERSIA IV.

De Divisione Delicti in Notorium & Occultum.

SVMMARIVM.

Quam Delicta dicantur Notoria. 27.
Declaratur Notorietas Juri & Facti. 28.
Quis numerus testium requiratur, ut delictum censetur Notorium notorietate facti. 29.
An debeat etiam esse notoria qualitas constituens gravitatem delicti. 30.
Farinacius sibi ipsi contrarius. 31.
In Delictis notoriis Juxta nulli Juris ordini adstringitur. 32.
An requiratur Citatio. 33.
An sententia ferenda sit in scripto. 34.
Ipsa tamen Notorietas debet prius Judicis esse probata. 35.
An sit admittenda appellatio. 36.
An admittenda Recusatio Judicis tanquam suspecti. 37.

27. **V**tilitas hujus Divisionis in eo versatur, quod aliter procedatur in Notoriis quam in occultis.

Notoria Delicta illa dicuntur, quæ nullâ tergiversatione clari, hoc est, in dubium vocari possunt, nempe quia facta sunt coram majori parte populi. Occulta delicta dicuntur, quorum probatio à communiter contingentibus difficulter haberi potest, ut sunt: Dolus, fraus, Simulatio, falsitas, suppositio partus, incendium, adulterium, Simonia, Sodomia, furtum, tractatus de nece, conspiratio, Venenatio, delicta nocturna, & similia, quæ ex natura rei & per se loquendo non sunt nisi in occulto: quavis & alia, quæ ex natura rei solent fieri palam, quandoque per accidens fiunt in occulto.

28. Porro, Notoria sunt vel Notorietate Juris, vel Notorietate facti. Priora sunt, quorum Notorietas à Jure vel Judicio sumitur. Posteriora sunt, quæ in oculis hominum ita sunt gesta, ut nulla tergiversatione clari possint, cuiusmodi erat delictum illius, qui Novercam suam in uxorem duxit, & ideo ab Apostolo Paulo absens iudicatus est, de quo in *can. 17. ca. 2. q. 1. dicitur*: [Omnes enim crimen ejus sciebant, & non arguebant. Publicè enim Novercam suam loco uxoris habebat: in qua re neque testibus opus erat, neque tergiversatione aliqua poterat tergèreri.]

De Delictis notoriis notorietate Juris seu Judicii, non est opus multa dicere. Hujusmodi sunt, quæ vel constant ex actis non impugnabilibus, vel ex propria judiciali confessione, vel per Judicis sententiam latam in plenario Judicio, & quæ transit in iudicatum. Plura dicenda restant de Notoriis notorietate facti.

29. Dicendum I. Cùm admodum variant DD. in assignando numero hominum, qui debeant vel possint testari de delicto per sensus percepto, ut delictum fiat Judici Notorium, nec proinde possit certa regula assignari, eo quod populus aliquando sit admodum amplus, aliquando rarior, & minore numero constans, ideo arbitrio & conscientia prudentis Judicis relinquendum est, ut iudicet, an delictum sit notorium, attentis circumstantiis loci, numeri personarum intervenientium, earumque conditione & qualitate. Ita ex communi tradit Fatini. *q. 21. n. 48.* & colligitur ex *cap. 6. de homicidio.* [Sanè cùm vir discretus existas, pleniùs nôsti, quòd in excelsibus singularum non solum quantitas & qualitas delicti, sed ætas, scientia, sexus atque conditio in delinquentibus sint attendenda: & non solum secundum prædicta, sed secundum locum & tempus quo delictum committitur, debet unicuique penitentia iudici.] Non est autem major ratio quare horum confideratio & ponderatio debeat Judici arbitrio committi, & non etiam ponderatio Notorietatis in facto consistentis.

30. Dicendum II. Ut Delictum sit Notorium, non est satis, quòd substantia actus sit notoria, v. g. quòd Petrus occiderit Paulum, sed etiam qualitas constituens gravitatem delicti debet esse notoria, v. g. quòd non sit factum ad defensionem, & cum moderamine inculpata tutelæ. Ratio est, quia alioquin in ratione delicti jam potest habere locum expurgatio & tergiversatio. Ergo in ratione delicti non est notorium, esto sit notorium quoad homicidium.

31. Contra hanc conclusionem, quam Farinac. ponit n. 49. pugnat ipse Far. n. 51. & revocat conclusionem, asserens, adhuc fore notorium, etiamsi qualitates excusantes non sint notoria. Verùm, in toto illo numero Farinacius contraria loquitur, vel cerè (ut claris loquar) facit hypothèsin impossibilem, dum perpetuo supponit posse Delictum principale in ratione delicti esse notorium, quin sit notoria negatio qualitatum excusantium: quæ est hypothèsis manifestè impossibilis: ad quam probandum inepè adducit cap. 3. de testibus cogendis, ubi non est sermo de eo, qui fatetur factum homicidium, & adducit causas excusantes delicti, sed de eo, qui ipsum factum negat. [Si factum est notorium, non eget testium depositionibus declarari, cùm talia probationem vel ordinem iudicarium non requirant. Verùm, si non est notorium, & is qui convenitur factum negaverit.] Ergo si factum non negaret, sed excusaret delictum, non esset notorium in ratione delicti: nam id quod negari potest in Judicio, nondum est notorium.

Dixi à principio controversiæ, quæstionem de Notorio habere suam utilitatem in modo procedendi, ideo

32. Dicendum III. In Delictis notoriis Judex potest ex officio, nemine accusante procedere, & ideo nulli Juris ordini adstringitur, nullus requiritur libellus, nulla litis contestatio, &c. Patet ex cap. jam allato, & ex pluribus aliis. *can. 14. ca. 2. q. 1.* in fine, & diverso characterè legitur. *ceterum, quæ manifesta sunt, iudicarium ordinem non requirunt. Unde Ambrosius, Manifesta accusatione non indigent.* & *can. 16.* [Quæ Lotharius Rex facit, accusatoris non indigent. Manifesta quippe sunt opera carnis.]

33. Dicendum IV. Quando Delictum est ita notorium, ut evidens sit, nullam posse reo competere excusationem seu defensionem, quâ saltem delicti gravitas aliquid extenuetur, tunc ne quidem citatione opus est ad ferendam sententiam. Quia verò raro contingit, ut nullum possit esse dubium, quòd nulla conveniat defensio, ideo regulariter & per se loquendo semper requiritur citatio, excepto casu, quo periculum esset in mora proveniente ex citatione. v. g.

ne, v. g. periculum fugæ. Deducitur conclusio ex variis Juribus quæ adducit Ant. Gomez *c. 1. de delicti n. 43.* quæ non refero, cùm constet Conclusio ex dictis to. 1. cap. de citat. & quoad secundam partem est extra controversiam: cùm Jure nature debeat cuivis patere via defensionis, & nemo inauditus condemnari, cùm nec Deus Adamum inauditum condemnaverit. In peccato Sodomitarum voluit Deus ocularem inspectionem præmittere.

34. Dicendum V. In Notoriis non est necesse, ut sententia feratur in scripto, vel cum aliis Juris solemnitatibus, v. g. a Juce sedente &c. & ita intelligendus est Innocentius, quando dicit, in delicto Notorio non esse necessariam sententiam. Colligunt DD. ex Nov. 8. c. 9. ibi. *Et causam ex non scripto examinare.* & licet ex præcedentibus, & relatis Juribus, universim non requirantur solemnitates.

35. Dicendum VI. Antequam Judex super delicto Notorio procedat non servato Juris ordine, debet priùs ipsa delicti Notorietas illi esse probata saltem per idoneos testes. Ratio est, quia Judici debet esse probatum, quidquid ipsi non est ante notum: ergo si notorietas delicti non est nota, hæc ipsa erit probanda, & super ea sufficiens informatio capienda, nec sufficeret extrajudicialis informatio, sed judicialis requiritur, ut tradit Clarus *q. 9. n. 5. in fine*; quod tamen Anton. Gomez. *n. 43.* & alii negant, & ideo consuetudo est attendenda.

36. Dicendum VII. In Notoriis non admittitur appellatio, sed eâ non attentâ Judex potest ad sententiæ executionem procedere, dummodo à Judice ad quem necdum sit facta inhibitio: nam hæc interpositâ notificandum est Judici ad quem, quòd casus sit inappellabilis, & hoc per regulam generalem, quòd pendente inhibitione non possit procedi ad executionem. Conclusio verò colligitur ex *cap. 5. §. fin. de appellat.* [Præterea si raptor sit, vel violentus detentor alienæ rei, qui appellat, hujusmodi appellatio facta in Judicio apud Ecclesiasticas personas solet audiri, nisi fortè manifestus raptor vel fornicator existat.]

37. Dicendum VIII. In Notoriis non admittitur recusatio Judicis tanquam suspecti. Colligitur ex *cap. 24. de appell. ibi.* [Judex tamen à quo appellatur (quia illi omnino suspectus est) eum non debet ad respondendum super aliis compellere, nisi pro crimine adeo gravi & manifesto, quo ipso actu meritò sit condemnandus.] Ratio est, quia Exceptio suspecti solum est utilis, quando procedendum est Juris ordine servato: atqui in Notoriis res aliter se habet, ut supra dictum, ergo &c. Intelligenda tamen est conclusio, quando pœna est à lege determinata. Nam in omnibus, quæ Judicis arbitrio committuntur, potest Judex esse rationabiliter suspectus, ne quodam inordinato affectu determinet iniquum, & ideo in tali casu recusari potest, observatis observandis, de quibus actum suo loco.

De his, quæ in summam brevem contraximus, qui plura, fortè non sine fastidio, legere cupit, adeat Farinacium, & Mascardum.

CONTROVERSIA V.

Quomodo intelligenda sit Regula: Pana (seu Delictum) suum tenet Auctorem.

SUMMARIUM.

Refertur Regula & ejus fundamentum. 38.
An in confiscatione bonorum filii veniat etiam peculium profectuum. 39.
An adventitia in quibus pater habet ususfructum. 40.
Notabile Corollarium. 41.
An idem dicendum de Bonis adventitiis, in quibus pater non habet ususfructum. 42.
An censetur etiam confiscata legitima, vivente Patre. 43.
Bonis patris confiscatis an profectuum etiam confiscetur. 44.
An censetur confiscatus ususfructus in bonis adventitiis filii. 45.
Quandoquidem legitima in bonis patris non confiscatur, à quo tempore computanda sit, & debeat. 46.
Quid si bona Matris ob ejusdem delictum confiscentur, eod. 47.
An Dominus seu Paterfamilias teneatur pro delicto sui famuli. 47.
An & quomodo possit Communitas puniri pro delicto privatorum aut Gubernatoris. 48.
Quid requiratur, ut censetur Universitas deliquisse. 49.
An statutum fieri possit, ut v. g. pro delicto filii etiam pater, & contra, puniretur. 50.

38. **R**egula hæc habetur in *lege 22. C. de Penis.* [Sancimus, ibi esse penam, ubi & noxia est. Propinquos, notos, familiares, procul à calumnia submovēbimus, quos reos sceleris Societas non facit. Nec enim affinitas vel amicitia nefarium crimen admittunt. Peccatū iugiter suos teneant auctores, nec ulterius progrediatur.]

diatur metus, quàm reperitur delictum.] Fundatur in SS. Litteris. Ezech. 18. *Ne fontium scelera onerosa infontibus fiant. Anima, quæ peccaverit ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii, justitia iusti super eum erit, & impietas impii super eum.* Levit. 14. *Non occiditur pater pro filio, nec filii pro patribus: sed unusquisque in peccato suo morietur.* & alibi passim. Verùm, quia, ut dicitur, nulla regula sine exceptione, videndum est, an & hinc exceptiones admittenda sint. Itaque

39. **Queritur I.** An in confiscatione omnium bonorum filii, veniant etiam bona contenta in peculio profectitio, saltem si pater liberam illius administrationem concessit. Ratio dubitandi est, quia ratione spei jam numerantur inter quatuor genera bonorum filii fam. Respondendum tamen est negativè cum omnibus DD. Ratio est, quia in rei veritate non sunt bona filii, quandoquidem tam quoad proprietatem, quàm quoad usumfructum spectant ad patrem.

40. **Queritur II.** Idipsum de Bonis adventitiis in quibus pater habet usumfructum. de quibus non pauci affirmant, inter quos refertur Bartolus & Baldus, & Salycetus in l. 1. in fine C. de bonis qua lib. & Sylvester, in sua summa malè asserens esse communem. Communior enim & verior negat. Ratio principalis est, quia filius non habet potestatem alienandi illa bona, in quibus pater habet usumfructum, nec per contractum, nec per ultimam voluntatem. Ergo nec per delictum: Nam hæc est propriè dicta alienatio, & non merè talis alienatio, quæ unicè fit per legem, qualis est præscriptio, quæ etiam in illis bonis fieri potest, sed est alienatio radicaliter voluntaria, quatenus est voluntarium delictum, & per consequens implicite est voluntaria pena statuta delicto: nam qui vult antecedens, vult etiam implicite consequens, hoc est, omne connexum cum antecedente. Quòd autem bona prohibita alienari non veniant in confiscationem bonorum, aperte probatur ex lege 12. ff. de fideicommissar. libertatib. [Imperator Antoninus, cum Firmos Titiano tragados tres legasset, & adiecisset: quos tibi commendo ne cui alii serviant: publicatis bonis Titiani, rescriptis, debere eos publicè manumitti.]

41. Ex hac doctrina notabile corollarium inferitur, nempe, quòd si filius bona adventitia ab alio possessa propriè auctoritate invaderet, & possessori eriperet, non incidere in penam legis: si quis in tantam. C. unde vi. Nempè, ut amitteret eorum proprietatem, quam tamen amitteret, si illa bona posset per delictum alienare.

42. **Queritur jam III.** An idem dicen-

dum de Bonis adventitiis, in quibus pater non habet usumfructum. In hoc DD. multum variant, & multi æquè probabiliter volunt ea confiscari. Priorum fundamentum potissimum est, quia si pater non habet usumfructum, cessant rationes, ob quas bona adventitia non possunt confiscari. Posteriores verò fundant se in eo, quòd communis sit sententia, ne quidem bona castrensis & quasi castrensis filiorum fam. unquam confiscari, nisi ob crimen læsæ Majestatis: ergo multò minùs bona adventitia. Quæ argumentatio si bona est, destruit penè statum questionis, quia filius nulla alia bona habet. Ergo omnis confiscatio, excepto crimine læsæ Majestatis, esset inefficax. Præterea non puto esse bonam consequentiam: bona Castrensis non confiscantur: Ergo nec adventitia. Probat quidem consequentiam ex eo, quòd in illis habeat plenam potestatem disponendi, & etiam de illis testandi: ergo si illa non potest alienare per confiscationem, seu per delictum, multò minùs adventitia poterit, de quibus non potest testari: & hoc est statutum in favorem personarum conjunctarum. Verùm, iterum negarem consequentiam. Nam Imperatores illam potestatem disponendi de Castrensis fecerunt in favorem militiæ: quare poterant etiam hunc eundem favorem facere, ut non confiscarentur, aliis bonis confiscatis. Supposito ergo, quòd bona filii familias confiscantur, ad minimum hæc se extendet ad bona adventitia, in quibus pater non habet usumfructum. An autem Castrensis & quasi, hodie sint ita privilegiata, alii noverint, ego non credo.

43. **Queritur IV.** An confiscatis bonis filii, censetur confiscata legitima filio debita post mortem patris, si pater adhuc vivat. Ratio dubitandi est, quia licet regula sit, quòd vivente patre legitima non debeatur, videtur tamen in tali casu posse cogi pater ad assignandam in vita legitimam sicut potest cogi ad assignandam filie pro dote, imò etiam filio incarcerato, si aliunde non habet, quo se liberet à carcere. Nihilominus R. Negativè, per legem 7. ff. de bonis damnatorum. [Cum ratio naturalis quasi lex quædam tacita liberis parentum hereditatem addiceret, velut ad debitam successionem eos vocando, propter quod & in jure civili suorum hæredum nomen eis inditum est, ac ne iudicio quidem parentis, nisi meritis de causis summo veri ab ea successione possint, æquissimum existimatum est, eo quoque casu, quo propter penam parentis auferret bona damnatio, rationem haberi liberorum, ne alieno admisso graviorem penam lucret, quos nulla contingeret culpa interdum in summam egestatem devolvi. Quod cum aliqua moderatione definiti placuit, ut qui ad universitatem venturi erant jure successionis, ex

ca por-

ea portiones concessas haberent.] Ad rationem dubitandi negatur paritas, quia in casibus allatis cogitur pater in bonum filii & filie, quibus legitima debita applicatur, de quo non possunt conquiri ceteri hæredes: sicut conquiri possent, si fisco applicaretur, antequam esset debita, in sum præjudicium.

44. **Queritur V.** Si bona patris confiscentur, an peculium profectitium filio concessum etiam confiscetur. Ratio dubitandi est, quia ut paulò antè dixi, delinquente filio ideo non confiscatur, quia pleno jure est patris. Ergo ob hanc causam confiscabitur, confiscatis bonis patris. Aliqui distinguunt inter delicta: si enim tale sit, ut propterea dissolvatur patria potestas, ut si pena fit capitalis, tunc ajunt confiscari, quia desinit habere rationem peculii: secus, si non auferatur patria potestas. Et pro hac distinctione facit notabilis textus in lege 1. §. 4. ff. Quando de peculio actio annalis est: ibi. [Sed & si morte patris vel deportatione sui juris fuerit effectus filius, de peculio intra annum hæres patris, vel fiscus tenebuntur.] Quo tamen non obstante communior est sententia, indistinctè peculium profectitium non confiscari, ob textum expressum in lege 3. §. 4. in fine ff. de Minorib. ibi. [Licet aliquo casu ad filium peculium spectet: ut puta, si patris ejus bona à fisco propter debitum occupata sunt: nam peculium ei ex constitutione Claudii separatur.] Ad textum contrarium videtur responderi posse, eum loqui disjunctivè, & quasi conditionatè, nempe in casu quo ad fiscum perveniat, vel ob crimen læsæ Majestatis, vel quia delinquenti non fuit filius hæres.

45. **Queritur VI.** An confiscatis omnibus bonis patris, censetur etiam confiscatus usumfructus quem habet in bonis adventitiis filii. Ratio dubitandi est, quia usumfructus non est transmissibilis ad hæredes: ergo nec ad fiscum qui reputatur hæres. Placet in hoc puncto distinctio Farinacii n. 33. Si enim pater patitur capitis diminutionem seu maximam seu mediam, quæ dissolvit patriam potestatem, tunc non confiscatur usumfructus, quia consolidatur cum proprietate. Secus, confiscatur quoad commoditatem ad tempus vite patris, quia commoditas usumfructus est alienabilis, ut dixi agens de usumfructu. Unde puto idem posse dici ad præcedens quæsitum de peculio profectitio, ut ejus commoditas ad fiscum pertineat tempore vite naturalis patris.

46. **Queritur VII.** Quandoquidem undè dicitur est quæf. 4. legitima in bonis patris non confiscatur, à quo tempore computanda sit, & debeatur. R. A tempore seu die condemnationis, non expectatà morte naturali, quia huic æquiparatur mors civilis. Circa computatio-

nem autem legitimæ in tali casu illud est singulare, & contra Jus commune, quòd legitima quæ ex bonis publicatis detrahitur, si pater habet unum vel duos filios, non erit solum triens (ut esset de Jure communi), sed dimidia pars totius hæreditatis. l. 10. C. de bon. proscript. ibi. *dimidia parte æratio vindicata, alia eis reservetur.* Si verò pater habet tres vel plures filios, tunc non est tractandum de quota hæreditatis, nec de legitima, quia tota Hæreditas & omnia bona paterna ex dispositione Adriani filii reservantur. l. cit. §. 3. [Si plures filios (id est saltem tres) damnatus habeat, feruntur exempla, per quæ pluribus liberis omnia bona damnati concessa sunt. Sed & D. Adrianus in hac sententia rescriptis &c.] Verùm, ut monet Clarus, in hoc variis locorum consuetudines, quæ proinde sunt observandæ.

Dixi, legitimam in bonis Patris non confiscari: aliud est, quando Matris bona ob matris delictum confiscatione, tunc enim nihil relinquunt liberis. l. 6. C. de bonis proscriptis. [De bonis matris deportatæ filii nihil debent, Juris absolutissimi est.] Rationem verò discriminis non invenio, nisi fortè sit, quòd Mater non habet usumfructum in bonis adventitiis, nec filios in patria potestate.

47. **Queritur VIII.** An Dominus seu Pater familias teneatur pro delicto sui famuli. R. Cum distinctione. Si deliquit in officio sibi à domino commisso, tenetur, nec liberatur, exhibendo famulum, si famulus solvendo non est, secus non tenetur. Utrumque probavi 10. 1. de Jure privat. agens de oblig. quæ ex delicto vel quasi nascuntur. Ex quibus constat, Dominum solum teneri civiliter pro interesse partis læsæ, non item criminaliter, nisi vel dominus suam auctoritatem delicto accommodasset, vel possit præsumi fuisse gnarus malæ indolis & improbitatis servorum, tunc enim ipse dominus criminaliter puniri possit, mitius tamen quàm ipse famulus, si non fuit auctor delinquenti: quia non tenetur tunc de dolo, sed de culpa.

48. **Queritur IX.** An & quomodo Communitas vel Civitas possit puniri pro delicto commisso à privatis civibus, vel à Gubernatoribus illius. R. Cum absurdum esset, punire penâ corporali singulos cives etiam innocentes, ideo quando ipsa Communitas ratione talium delictorum aliquo modo culpabilis est, vel quia delictum est à Gubernatoribus commissum, vel quia se habet in stat mandantis aut consentientis, erit puniendâ penâ pecuniariâ. In atrocissimis verò criminibus, ut læsæ Majestatis punitur quandoque civitas demolitione, quandoque penis & Censuris Ecclesiasticis, vel alio modo, quo modo Bonifacius Pontifex ob quo-

rundam Templariorum delictum totum Collegium destruxit. Quandoque sumpto de rebellionis auctoribus supplicio, insuper, memoria eorum damnata, ædificia solo æquantur, insignia gentilitia à tota familia tolluntur. Aliquando Universitas in terrorem & exemplum magnis indictionibus, & variis tributorum generibus gravatur, quæ tamen per æs & libram, hoc est pro viribus patrimonii, & non in capita sunt imponenda, ut tradit Gail. lib. 2. de Pace publ. c. 9. n. 36. apud quem, sicut & Farinacium, plura de his videri possunt, cujusmodi pœnarum exempla hoc tempore non desunt.

49. Observant tamen bene DD. ad hoc ut Universitas aliqua dicatur deliquisse, debere præcedere convocationem consilii, & deliberationem, & congregationem, alioquin dicuntur singulares personæ deliquisse: adeo ut Gail n. 9. dicat, non sufficere, si tota civium multitudo, etiam explicato & levato vexillo vim publicam inferret, aut homicidium committeret, nisi convocationis solemnitas v. g. per pullum campanæ, tubæ &c. præcesserit, & unanimo consensu atque in forma Universitatis arma sumperint: alias non ut Universitas, sed ut singuli fecisse dicuntur, & singuli ut seditiosi puniendi sunt, nisi delictum haberet tractum successivum. Videatur Gail, l. cit. Sed adhuc distinctius Farinacius scribit hoc ferè modo. Aut sumus in delicto successivo, ex quo pervenit ad Universitatem aliqua utilitas seu commodum, & tunc sine dubio Universitas tenetur, etiam si non præcesserit consilii convocatio, congregatio & deliberatio: imò etiam si delictum esset momentaneum, adhuc universitas teneretur ex tacita ratificatione commodi & utilitatis receptæ. Si autem sumus in delicto successivo, & per plures dies continuato, in quo ad universitatem nullum pervenit commodum, tunc verius est, etiam in isto casu universitatem teneri, si illi valens obviare non obviat, vel aliquod signum displicentiæ non faciat, unde tacite videatur tale delictum ratificasse, & omitendo punire deliquisse, & hoc non habet difficultatem, quia idem dicendum esset in delicto momentaneo, si delinquentes non puniendo censeretur ratificare delictum. In specie Rebellionis, crederem, inquit Auctor, quòd si cives alicujus civitatis fecerunt contra suum Principem unico impetu, unà die vel unica nocte aliquos actus rebellionis, & postea sedatus sit rumor, nec pluribus & continuatis diebus successerint rebellionis actus, tunc bene crederem universitatem non teneri, nisi præcesserint consilii convocatio, congregatio & deliberatio. Ità ille.

50. Quæ verò hæcenus dicta sunt, procedunt de Jure communi. Unde non negatur, quin possit fieri rationabile statutum, quo ex

certis causis, v. g. ut hoc ipso singuli magis absterreantur à delictis, si sciant propter se alios etiam innocentes, & sibi charos puniendos esse, statueretur, ut v. g. pater puniatur pro delicto filii, & contra; item ut puniatur integra villa pro delicto unius ex illa &c. Ad quod probandum adducit Farinacius (qui hoc latissime discutit) duas Bullas Pontif. quibus cavetur, quòd omnes Barones, domicelli & Universitates castrorum eorumdem terras, villas, oppida & territoria quæcumque à Latronibus, sicariis, furibus, & aliis delinquentibus custodire secura & libera facere, dictosque sicarios, bannitos & delinquentes inibi commorantes seu transientes capere &c. & Curia consignare teneatur: quòd si impune evaserint, communitates ad damna reparanda teneantur, & insuper tantundem Camera Apostolicæ persolvendum sint astricti. Sed de his videatur citatus Auctor, qui bene monet, attentè ponderanda esse verba hujusmodi Statutorum, ne contra intentionem statuentium extendantur.

CONTROVERSIA VI.

Quanto tempore Delicta præscribantur regulariter, ne amplius accusari aut puniri possint.

SVMMARIVM.

Quanto tempore regulariter delicta præscribantur. 51.
An contra sic præscribentem possit fieri Inquisitio. 52.
An tali præscriptione præjudicetur Actionibus civilibus. 53.
An delicta sic præscripta possint in vim exceptionis objici. 54.
Præscripta actione civili, præscripta est etiam criminalis ex eodem delicto descendens. 55.
An præscriptio delictorum currat à die delicti commissi etiam in occultis. 56.

51. **D**icendum est I. Et pro regula generali statuendum, quòd si post commissum delictum, sive id sit publicum sive privatum, sive atrox, sive leve, nisi specialiter excipiat, lege vel statuto, (quas exceptiones referam sequenti controversia) elapsi sint 20. anni, nec unquam fuerit

fuerit contra reum mota querela, sit præscripta accusatio, ut amplius molestari & accusari non possit cum effectu, quia accusatori potest opponi Exceptio præscriptionis quocumque tempore, etiam post latam sententiam ad impediendam illius executionem. Sumpta est hæc Regula ex lege 12. C. ad l. Corn. de falsis. [Querela falsi temporalibus præscriptionibus non excluditur nisi viginti annorum exceptione, sicuti cætera quoque ferè crimina.]

52. **D**icendum II. Non solum talis non potest amplius accusari, sed nec ex officio Judicis inquiri cum effectu ad puniendum, si constet de lapsu temporis. Ità DD. communiter omnes; per regulam, quòd omnes Exceptiones, quæ possunt opponi contra accusationem in genere, possunt etiam opponi contra Inquisitionem. Ratio est, quia Inquisitio substituitur in defectum accusationis: Ergo quando non est amplius locus accusationi, neque erit inquisitioni. Huc applicant aliqui illud vulgare, quòd non debeat obtineri posse per indirectum, quòd directè obtineri non permittitur.

53. **D**icendum III. Hac tamen viginti Annorum præscriptione non præjudicatur actionibus civilibus, quæ competeant fortè ex tali delicto personis privatis. Ratio est, quia, ut dixi tom. 1. de Jure priv. cap. de Præscript: hujusmodi actiones durant 30. annis.

Controversia est, an si Reus non opponat hanc exceptionem, fortè quia ignorat eam sibi competere, nec alius de populo (nam à quovis opponi posse tradit, cum alijs Guazzinus) an tunc sententia sit executioni mandanda, tanquam valida, etiam si fortè judici constet: quòd reus post se opponere exceptionem, & sic vim sententiæ enervare. Affirmant non pauci apud Guaz. n. 13.

Verior tamen mihi videtur sententia contraria, quam tenet Baldus, Felinus, Decianus, & Guaz. nempe quòd sententia sit ipso jure nulla, adeoque Judex ex officio deberet defendere reum, & ipsius jus præscriptione acquisitum ei manifestare, si illud sciat ante sententiam, & si post latam sententiam, deberet ejus nullitatem declarare. Ratio est, quia præscriptio tollit omne jus contrarium ipso facto, & perinde est, ac si debitum solutum esset: & hæc est utique benignior sententia favens reo, cui non debet nocere subtilitas illa juris, quòd lapsè valeat sententia, nisi exceptio opponatur. Deinde alibi probatum est to. præced. quòd licet Judex non possit supplere, quæ sunt facti, possit tamen & ex officio debeat supplere, quæ sunt Juris, & à reo ignorantur.

54. **D**icendum IV. Quamvis delicta modo dicto præscribantur spatio 20. annorum, ut accusari aut inquiri non possint, non tamen ità

præscribuntur, quin possint delinquenti post 20. annos in vim Exceptionis opponi, v. g. ut non admittatur ad testimonium dicendum &c. Regula enim generalis est, quòd quæ sunt temporalia ad agendum, perpetua sunt ad excipiendum, ut dictum suo loco. Non puto tamen quòd infamia, quam reus ex delicto contraxerat, opponi possit, quia, ut DD. tradunt, infamia etiam spatio 20. annorum per præscriptionem abolita est.

55. **D**icendum V. Illa delicta quæ pariunt simul actionem criminalem & civilem, v. g. actio de dolo, quandoquidem actio Civilis breviori tempore præscribitur, ideo etiam actio criminalis eodem breviori tempore præscribitur. Hinc quia actio de dolo civilis biennio tollitur, etiam actio criminalis tollitur. Ratio est, quia actio criminalis facilius præscribitur quam civilis, ut patet ex dictis de præscriptione 30. annorum.

56. **C**ontroversia est, an hæc præscriptio currat à die delicti commissi etiam in delictis occultis, quæ non potuerunt venire in notitiam Curia. Non pauci rigidiores negant, voluntque incipere primum currere à die habita notitiæ, saltem quòd delictum sit commissum, esto ignoretur à quo sit commissum. Contraria sententia benignior & verior est, etiam tunc currere à die commissi criminis, & assertur exemplum illius, qui tempore Pauli V. interfecerat Gallum in quodam nemore, & nunquam ad notitiam curia pervenit, illud delictum fuisse commissum, donec reus ipse post 24. annos Pontifici id manifestavit, & fuit à molestatione absolutus. Ratio est, quia est regula generalis, quòd præscriptio currat etiam contra ignorantem, nec ullum jus facit in præsentia materia distinctionem vel exceptionem.

